



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

CHRONICON

sis, militiæ cingulo accepto, multas Brabantinas atque Flandrenses lites sua prudentia diremit, sed sacerdotalis militiæ pertæsus ad Sueffonicum sancti Medardi monasteriū migravit. vbi aliquanto post abbas est creatus: deinde urbis episcopus. Inde pacis minister, pro pacis redintegratione Apostolica authoritate in Flandriam rediit; vbi authoritate Radbodi episcopi Nouiomensis, Aldenburgi diu Petri ecclesiam, vñibus abbatiæ aptandam suscepit. in qua abbas obiit, anno millesimo octuagesimo septimo. Circa illa tempora, anno videlicet septuagesimo, strangulata est Gestellæ sancta Godeleua, à seruis suis, iussu Bertulphi mariti.

Hierosolymitanæ expeditio.

Godofridus dux Bullonensis, Christianæ militiæ antesignanus inuictissimus, anno millesimo nonagesimo sexto, cum multis principibus, præcipue Belgicis, in expeditionem Hierosolymitanam profectus, mirabiles & inauditos triumphos est consecutus. Anno nonagesimo nono Hierosolymæ à Christians captæ sunt, & primus rex creatus est dictus Godofridus. qui ut in Christiani nominis hostes accingeretur, ducatum suum Bullonensem iam pridem mille trecentis marchis argenti vendiderat Leodiensi episcopo. Moriente autem Godofrido, Balduinus frater eius, in regno succedit, anno millesimo centesimo.

C A P V T X V.

Heresis
Antuerpiæ
à Norberto
extincta.

A Nno millesimo centesimo vigesimo quarto claret venerabilis Norbertus fundator ordinis Præmonstratensis, qui cum suis multum laborauit Antuerpiæ, contradestandam seductionem

nem Tanchelini hæretici, quae ius vrbis incolæ misere & pertinaciter infecti erant. Crispinijs eremiticam vitam dicit sanctus Albertus presbyter. Fulgent circa eadem tempora, multa sanctitate & miraculis, rusticani homines, sanctus Guido apud Bruxellam, qui obiit anno millesimo centesimo duodecimo: & sanctus Drogo apud Valencenas, qui obiit anno millesimo centesimo octuagesimo sexto.

Habuit idem sæculum, sicut & superiora quædam, & subsequentia non paucos, qui insigni sanctitate & miraculis claruerunt. Quos tamen hic non commemoro, eo quod Sanctorum catalogo non sint ascripti. Similiter innumeros prætereo qui in construēdis & dotandis ecclesijs ac monasterijs, pietatem suam posteritati commendarunt.

C A P V T X V I :

ANNO 1566 exordium accepit quinta Belgij *V. Belgij* vastatio per Guesios, quæ anno potissimum *vastatio
per Gue-
sios.* septuagesimo secundo magnas diuersis ex causis, accepit vires, tantasq; ut arbitrer vnicō illo anno plures Belgas occubuisse martyrio, quām omnibus reliquis annis, qui vsq; ad conditum orbem antecesserunt. Vidimus tunc summa pericula à Franciæ Hugonotis, & aliunde, ob quæ immensæ Dei misericordiæ ascribimus, quod consumpti non simus. Sed meum non est tristissimam horum annorum historiā texere. quod posteritas faciet, tanto syncerius, quanto semotior erit & à prauis affectibus, & à periculis indignationum. De gloriōsis interim sub hac persecutio martyribus,

O diuersi